

DRACONTII CARMEN DE DEO  
LIBER TERTIVS.

---

ARGVMENTVM AB AREVALO CONFECTVM.

**D**ei laudes, infinita scientia, iustitia, clementia, bonitas, largitas, liberalitas in annona subministranda. Captatores annonae et avari obiurgantur. Exemplum diuitis damnati, qui ex inferis refrigerium a Lazaro paupere postulabat. Multo magis damnandi, qui aliena rapiunt. Nec diuitiae, nec quaeuis alia bona praeferrenda sunt Deo, omnium datori. Peritura contemnenda sunt, ut aeterna acquirantur. Id exemplo suo nos docuit Abraham, qui filium suum iussus ad sacrificium duxit. Deus arietem pro Isaac subrogari uoluit. At non ita Saturnus, falsum numen, cui pueri quotannis immolabantur. Deus Abrahamum uoluit ceteris exemplo esse, ut nihil quantumuis carum Domino praeponatur. Praemium obedientiae Abrahami posteritas eius ad omnia tempora et regiones propagata. Aliud exemplum trium puerorum, qui in fornace accensa illaesi permanserunt. Daniel inter leones. Descriptio uenationis amphitheatralis ferarum. Herculis fabulosa uirtus cedit Danieli. Crudelitas Dianae Tauricae. Petri, apostolorum principis, primatus. Eius precibus Romae Simon Magus praecipitatus est. Haec aliaque huiusmodi ex fide, spe et orationibus ad Deum processerunt. Ethnici uero plura audaciae facinora aggressi sunt, non spe uitae aeternae permoti, sed solo amore laudis aut patriae. Menoeceus, filius Creontis, ne pater regnum amitteret, se ipsum occidit. Thebanorum regnum tragicum. Codrus pro patria ab hostibus uolens interemptus est. Leonidae cum paucis Lacedaemoniis audax proelium ad Thermopylas. Philaeni fratres Carthaginienses se uiuos sepeliri (comburri *Arev.*) passi sunt, ut patriae fines latius extenderentur. Brutus, laesae pudicitiae ultor, libertatis assertor, liberos suos securi percuti iussit. Virginius, ne Virginiae filiae libertatem et pudorem rapi cerneret, eam cultro confodit. Torquatus filium uictorem, quod contra edictum pugnauerat, morti adiudicauit, ingemiscens omnibus. Curtius in lacum se praecipitem dedit. Regulus, ne fidem datam frangeret, ultro Carthaginem rediit ad saeuia tormenta et crudelissimam mortem. Sagunti fides et constantia. Feminae etiam ut ad scelera audaces sunt, ita egregia facinora saepe aggrediuntur. Iudith, Holoferne occiso, patriam liberavit. Tomyris Cyrum subegit. Euadne rogum, quo mariti corpus ardebat, conscendit. Dido sibi ipsi pyram construxit. Lucretia sibi manus intulit. Plures aliae scelera aut ardua facinora perfecerunt amore laudis aut pro numine uano deorum, ex quibus nihil boni oriri potest, quum solus sit unus uerus Deus, immensus, aeternus, qui parens noster est, cuius nos filii sumus. Cui quum omnes res creatae famulentur, audax et sceleratus homo est, si eius iussis parere negligat. Confessio et poenitentia Dracontii. Enumerat aerumnas, in quas ob crimina inciderat. Petit ueniam a Deo. Exemplum Iobi proponit et resurrectionem aridorum ossium apud Ezechielem, quam graphice depingit. Nabuchodonoris poenitentia. Preces Dracontii ad Deum pro liberatione a uinculis et pro bonis huius atque aeternae uitae consequendis.

---

- Luminis aeterni lumen, lux, lucis origo,  
 Orbis et astrorum, iubar aetheris, aeris auctor,  
 Pax elementorum, naturae conditor et fons,  
 Sideris innumeri numerus quem non latet omnis:  
 5 Nomina das astris et stellis cursibus aptas,  
 Immobilesque iubes septem constare triones  
 (Axe licet uolente polos stant sidera pigra):  
 Qui numeras cunctas, quas praefert littus arenas;  
 Scis, Deus, et pelagi quantos ferat unda liquores  
 10 Per freta cuncta, maris totum iactura per aequor.  
 (10) Omnia nosse Deum, quia condidit omnia solus,  
 Quis dubitet? Quod nosse iubes, caelestia norunt:  
 Quae tu scire uetas, ignorant omnia caeli.  
 Nam tua iussa parant, ut sint elementa ministra.  
 15 Fulgura crebra micant, collisis nubibus Euro,  
 Et tonitrus imbresque mouent, aut fulmina caelo  
 Missa cadunt, hiemesque cient, comitante fragore:  
 Verberis igniti uolitant per inane flagella.  
 (15) At rutila radias crinitum missile flamma,  
 20 Iustitiae monitor, sed plus pietatis amator,  
 Celsior excelsis, specie uel pulchrior omni,  
 Virtutum uirtus, dulcedine dulcior omni,  
 Lucidus omnino, uel lumine clarior omni,  
 (20) Editor omniparens, sed non tamen edite ab ullo,  
 25 Qui placidos pluuiis das descendentibus imbres.  
 Sic annona datur cunctis animantibus esca,  
 Et natura parens per tempora cuncta ministrat.  
 Sic plumis uestitur auis, sic frondibus herbae,  
 (25) Sic calamis nutrita seges stans armat aristas,  
 30 Et tunicis uestita Ceres pubescit adulta.  
 Sic uiridis flauescit ager sine semine iacto.  
 Creditor extorquet sub uomere foenus arator,  
 Vsurae praestator edax: centesima grandis  
 (30) Redditur, ac paret uoto credentis auari

1) aeterni lunae lux R., Arev. sed aeternum lumen uix intelligi potest sol, et paene ineptum est hoc loco dicere Deum esse lunae lucem. 5) dans VR. aptans VR. 6) Immobilesque iubes VR. Immobilesque iubes Arev. edidit. Illud apud Dracontium ferendum puto, cf. u. 106: feriturus (vv-v) u. 695. detur (vv). In commentario Arev. monuit fortasse scribendum esse (u. 5.) das — aptas — iubes, ad quae repetendum est ex praeced. uoc. qui. 7) stent VR: restituit Arev. 9) Hunc uersum ex R. adieci. 10) totum factura quae..... V, totum factura quae..... R: totum quas continet aequor Arev. edidit. 12) iubet VR: correxit Arev. 13) Quod tu R, Arev. 14) Hunc uersum cum duobus seqq. ex R. adieci, quibus sententia mutilata restituitur: manifestum est, uocabula caeli et caelo in causa fuisse, cur illi uersus exciderent. 18) igniti uolitant R, ignoti uiolant V: uolitant uel ignoti uacuum per Arev. coniecit. 19) Et rutila radians V, Et rutilant radians R. 21) specie sed VR: correxit Arev. 23) Lucidus o..... uel VR: Lucidior luce uel Arev. edidit. 24) Editor omniparens R, omnipotens Arev. ex V. ab illo R. 25) discedentibus VR: restituit Arev. idem etiam coniecit: Q. placidas pl. d. discedentibus auras. 29) calamos R, Arev. qui correxit aristas: aristas VR. 32) sub uomere R, uti Arev. restituit: subuenire fenus V. 33) Vsura praestator V, Vsura praestator R: praestatur Arev. edidit. 34) Redditur atque placet uota reddentis auarus VR: Redd. ac parens uotis credentis auari Arev. edidit.

- 35 Debitor: exoptat millesima reddere luca.  
 Non exactorem pudor inficit, aut dolor ullus  
 Afficit exactum: contraria uota duorum  
 Conueniunt, solusque dolet captator iniquus,  
 (35) Annonae pretiisque uorax, inimicus amicis,  
 40 Omnibus aduersus, populis insontibus hostis.  
 Nam sua damna uocat mundi compendia pulchra,  
 Nil opibus propriis quacunque ex parte minutis.  
 Exstinctam dolet esse famem, bene diues egenus,  
 (40) Semper auarus inops, pauper sub diuite nummo  
 45 Aestuatur: est custos alieni ruris et auri.  
 Iudicio punita suo mens semper auara  
 Dat poenas animi, quae se dum nescit amare,  
 Diligit heredem, cui seruat cuncta fidelis.  
 (45) Nec bona praesentis hic tantum perdere uitae  
 50 Contingit miseris: perdunt bona cuncta futura.  
 Numquid eris pius, alme Deus, iam morte perempto?  
 Illi quippe, magis qui proditur impius in se,  
 Et sibi uel cunctis solatia cuncta negauit?  
 (50) Nonne exempla docent damnati diuitis, ingens  
 55 Pauperis et requies, qui post sua membra beatus  
 Abrahae portante sinu per saecula quiescit?  
 Diuitis exstincti tormenta exspectat egestas,  
 Immitesque uices alterna sorte rependit.  
 (55) Serica quem tenuis, quem mollia lina grauabant,  
 60 Qui solet aestiuum membris sudantibus ostrum  
 Poscere, deposito confractus murice denso,  
 Cuius et in digitis non sedit crassius aurum,  
 Et licet exiguae non ferret pondera gemmae,  
 (60) Inter anhelantes tormenta ultricia flammam  
 65 Supplicium crudele luens exaestuatur ardens,  
 Et tolerat, poscitque rogans, ardente palato,  
 Vt gelidum digito mereatur lingua liquorem.  
 Sed negat hoc immane chaos: crudele profundum  
 (65) Diuidit inter aquas et saeua incendia mortis,

36) pudor imprimit VR: restituit Arev. qui etiam coniecit *impedit*. 37) Contraria nota coloni et agri sunt, quia accipere et reddere contraria inter se sunt, et plerumque creditor optat exigere, debitor renuit reddere: conueniunt uero uota, quia ager optat reddere et colonus accipere. Arev. Idem hos uersus ex parte male accepisse uidetur: non enim de foeneratore, qui huius lucri studium proficitur, sermo est, sed de agricola et agro, quos creditorem et debitorem Dracontius uocat: usurae praestator edax = qui fractus capiendi audis officium praestat. 41) uocat compendia pulchra mundi VR: correxit Arev. 43) Extincta modulet esse VR: correxit Arev. 45) Aestuatur (*Extuat* prius in V) et custos alieni thuris adoret VR: Aestuatur, et custos alieni ruris et auri Arev. restituit. 47) animique se dum R, animique sedem V: animi quae sedem Arev. restituit: scriptura cd. R. confirmatur iis, quae teste Arevalo Columbanus in Epist. ad Hunaldum ex Dracontio affert: *Diuitias cumulans dum sese nescit amare Plus amat heredem, et seruat cui cuncta fidelis*. 48) Diligat VR: restituit Arev. 50) Contingit miseris (al. m. suprascr.) R. 53) negabit VR: correxit Arev. 54) Non ex. docent R, Non ex. decent V: Nos ex. docent Arev. edidit. 57) tormenta spectat Arev. coniecit. 58) uias aeterna R, Arev. ex V. 59) Serica que tenuis quod VR: correxit Arev. ligna R. 60) membrisque sudantibus V: correxit Arev. membrisque (sed uoc. que obliu.) sud. R. 63) inferret corr. ferret V. 66) Nec tolerat Arev. coniecit.

- 70 Quae sine fine manent, et stant sub perpete nexu.  
Et miser hic, qui diues erat, non uixit egener,  
Vestibus indutus Tyriis processit et ostro,  
Delicias conuexit edax: reus inde uocatus,
- (70) Pauperibus miseris quod trux alimenta negabat.
- 75 Nam sibi diues erat, dapibus conuiuia repletus.  
Si tales damnare decet sub perpete poena.  
Qui sibi, non aliis proprium defundere curant,  
Quid passurus erit, qui nec sibi praestitit unquam,
- (75) Aut qui aliena rapit praedo temerarius, audax,
- 80 Cuius facta gemens plangit spoliatus egenus?  
Hi nam sunt, quos sola iuuant conuiuia praedae,  
Gutturis et uentris curam sine laude ferentes.  
Ignarus quia quisquis erit praesentis amator
- (80) Vitae animaeque suae, non diligit ille, sed odit:
- 85 Contemptor uitae magis hic seruator habetur.  
Nil opus est praeferre Deo, sententia prisca est:  
Summum crede nefas, animam praeferre pudori;  
Si mauis, scelus est, animam praeferre pudori:  
Quam sit grande nefas, animam praeferre datori,
- 90 (85) Demere cum liceat, quidquid dedit, et cui confert!  
Ergo Deum si corda colant et mens ueneretur,  
Nil opus est praeferre Deo: Deus omnis amor sit  
Ante animamque suam, simul et conuiuia, natos  
Postponat mens pura Deo, totamque salutem
- 95 (90) Reiciat, contemnat opes, patrimonia damnet,  
Et securus erit uitae melioris amator,  
Temporibus sine fine datis, sine limite perpes:  
Quod spectat finem, fragile est totumque caducum.  
Quam sit insipiens contemnere uelle perenne,
- 100 (95) Et modico quaesisse die peritura repente,  
Abrahae doceant iam nos exempla parentis,  
Qui natum senior susceptum tardius unum  
Spe cito contempsit: iussus produxit ad aram,  
Aptauitque neci nimia pietate cruentus.
- 105 (100) Nudato mucrone pater, ferus ille sacerdos,  
Stabat in officio, iam iam feriturus amatum,  
Et pius immitis, non tristis fronte doloris,  
Non lacrimis undando genas, non unguibus ora  
Dilacerans: lamenta silent et uerba cessant.

72) *processit*: scriptum uidetur *praecessit* in V. 73) *conuexit* R. 76) *damnare placet* R, quod fortasse recipi debet. 77) *defendere* VR, *defundere* nel *diffundere* Arev. coniecit. 80) *gemens plaudit* VR: correxit Arev. 81) *conuiuia praedae* VR: correxit Arev. 82) *gerentes* Arev. coniecit. 83) *Ignaris quia* VR: *Ignari* Arev. edidit. 88) Hunc uersum ex R. adieci. 90) *dum liceat* VR. Verba et cui confert corrupta uidentur: et quod confert Arev. coniecit. 91) *si uera colunt* V, *si uerba colunt* R: *si* (uel *sic*) *corda colant* Arev. restituit. 93) *Ante animamque simul*..... V, *Ante animamque suam conuiuia natos* R: *Ante animam simul et uitae praesentis amorem* Arev. edidit. 95) *patrimonia* obscure in V. 97) *dati sint* R, *dati sint limite perpes* (hoc ultimum uoc. dubie) V: restituit Arev. 109) *Dilatans* VR: restituit Arev. *cessant* correctum *cessant* V.

- 110 (105) Nato peccati pietas secura minatur  
Exitium: \*sine morte crucis pro funere nati\*  
Quid quod natus erat, qui ad uulnera colla parabat,  
Hostia grata iacens? at uictima mente quieta  
Displicuit placuitque simul, quia corde fideli
- 115 (110) Et pater obtulerat, nec natus uota negabat.  
Mox pater omnipotens arietem subrogat aris:  
Hostia praestatur non orbatūra parentes.  
Si deus ullus erat Saturnus falcifer unquam,  
Hoc faceret, puerosque neci subduceret omnes,
- 120 (115) Annua quos pietas flebat miseranda parentum?  
Heu non orbaret dilecto pignore matres,  
Qui planctus mortesque facit per saeua rogatus.  
Nescius est: munus maius deplangitur, amens  
Quam praestare potest: sed non credatur et absit.
- 125 (120) Nam Deus omnipotens, uerus Deus, omnia praestans,  
Non cupit insontum mortes, uitasque nocentum  
Non cito consumit, ueniae dum cuncta reseruat.  
Nam quod Isaac iussit \*\*\* pius hostia \*\*\*  
Non crudelis erat, concessum auferre parenti
- 130 (125) Per patris tam grande nefas: aut iura probare  
Censuit amborum, non est tentator habendus,  
Aut ignarus erat, quem mens humana lateret.  
Cum ratione iubet fieri, quaecunque iubebit.  
Sed uoluit monstrare Deus, qua mente rogetur,
- 135 (130) Qualiter Omnipotens se uult et iussit amari:  
Ostendit cunctis, ut nil praeponer unquam  
Debeat aeterno Domino, qui cuncta creauit,  
Cuius amore pio sunt contemnenda pericla,  
Vel quaecunque placent animis, et quidquid amatur.
- 140 (135) Sin iactura fiat, praestat compendia damnum:  
Temporis exigui si sint dispendia uitae,  
Semper et aeternae felicia lucra dabuntur.

110) Non dat peccatoribus pietas VR: restituit Arev. 111) Sic VR: sine morte truci pro Arev. coniecit: equidem post hunc u. lacunam esse suspicor, id quod ex VR. apparet, sed plura excidisse puto, non tantum unum uersum, uti in V. significatum est. 112) Quid notus erat qui ad uulnera colla parabat R: Lacuna tantum in V. exstat, quam Arev. ita expleuit: Sic solum exhibito nata est immensa propago. 113) et uictima R, Arev. ex V. posset etiam scribi: sed uictima sqq. 121) pignore natos VR: patres Arev. edidit: idem etiam matres coniecit. 122) mortesque f. per sera rogatus R, montesque f. per sera rogatus V: per uota rogatus Arev. edidit: idem mortes restituit. 123. 124) Nescio sed minus est a quo deplangit ademit Quam praestare potest. . . . . V, Nescio sed minus est aq<sup>o</sup> deplangitū ademit Quam praestare potest si non prestat et assit R: Num uerus deus est, munus qui maius ademit Quam praestare potest? Cui natos praestitit unquam? Arev. edidit. 128) Non quod Isaac iussit. . . . . V, in quo uoc. quod obscurum est: Non quod isaac iussit. . . . . pius hostia. . . . R: nihil mutauit, cum ueri sit simillimum, certe duorum uersuum haec esse fragmenta. Nam quod Isac iussit collum summittere cultro Arev. edidit. 133) quaecunque R, uti Arev. restituit: quacumque V. 134) deus qua V, sed qua uidetur quia: ita R. 136) nil praeponeret VR: praeponer Arev. edidit. 137) qui ambigue in V. 138) periclo prius fuisse uidetur in V. 140) Sic iactura fiat VR: Si Arev. edidit: idem coniecit fuit uel siet. 142) at aeternae Arev. edidit: et VR.

- Nec nudò sermone decet promittere tanta,  
 Quid pater Abraham, quid Isaac meruisse leguntur?  
 145 (140) Horum posteritas repleuit gentibus orbem.  
 Barbaries nec sola datur de germine iusto:  
 Et Romana manus hoc est de sanguine fusa.  
 Dat maior gentile genus Germanus et hostis  
 Et minor eduxit quos munera pacis amantes.  
 150 (145) Subiiciat quisquam: Sanctorum uera propago  
 Pacis amatores merito iusteque creauit.  
 Numquid et immites, qui gaudent sanguine fuso,  
 Debuerat proferre simul, feritate cruentos?  
 Haec illum responsa doment faciantque silere.  
 155 (150) Non agnoscit iners animi, rationis egenus,  
 Tempora quod mundi rebus sunt capta duabus.  
 Aut pax est aut bella fremunt: quodcunque duorum  
 Alterutrum mox tempus habet, nec tertia res est,  
 Tempora quae teneat. Dedit ergo tempora princeps  
 160 (155) Omnia perpetuo generi manifestius Isaac.  
 Aetatem mundi retinens descendit origo  
 Continuans, dominata manet per saecula mundi.  
 Nec tempus retinet tantum, spatiat in orbem,  
 Qua profert tollitque diem sol, luminis index,  
 165 (160) Qua nescit lustrare polos, qua flammeus urit.  
 Imperat et pelago, caelum possedit origo  
 Sancta prophetarum, tenet et loca magna piorum:  
 Omnia possedit benedicti lata propago.  
 Sed nec solus erat, quem spes secunda futuri  
 170 (165) Egrege faceret praesentem temnere uitam.  
 Ignea tres pueros fornax exceperat ardens  
 Nomine pro Domini: sed mox tepuere calores,  
 Frigidus ignis erat, gelidis incendia flammis  
 Mirantur cecidisse; simul non feruor anhelat  
 175 (170) Torridus, aut adytum lambibat flamma camini  
 Crinibus ignitis ieiuna alimenta recusat  
 Fastidita fames, reiecto fomite pingui.  
 Non fuit ignis edax, quem roris spiritus afflans  
 Imbrifer exstinxit, mitissimus angelus intrans,  
 180 (175) Cuius erat similis diuinæ prolis imago.

143) *praemittere* uidetur scriptum in V. 144) *Isac* Arev. edidit: *Isaac*, uti u. 128, per synizesin legendum. 145) *replebit* VR: correxit Arev. 147) *manus hoc deest de V, hoc d est de R: hocce est de* Arev. edidit. 149) Ex hoc uersu uix sana sententia efficiatur: edidi eum secundum R: *quod m. p. amantes* V: *qui m. p. amarent* Arev. edidit. 150) *Suscipiat* Arev. coniecit. 152) *inmites* R. 153) *preferre* R. 156) *sunt apta* Arev. coniecit, sed ipse recte interpretatus est *capta = occupata*. 157) *Aut pax aut bella fremunt quodcunque* (hoc uoc. obscurum) *duorum* V, *Aut pax est aut* R, uti Arev. restituit: *quicumque* R: fortasse *quacunque*. 159) *teneant* VR: correxit Arev. fortasse: *Tempora quam teneant*. 160) *perpetui generi* VR: correxit Arev. 164) *Qui profert* VR: restituit Arev. 165) *quam flammeus* V, *quam flameus* R: correxit Arev. 167) *tenet: et* distinguitur in V. 168) *benedicti* intell. *Isaac*. Arev. 175) *Torridus aut adytum* VR: correxit Arev. qui tamen etiam coniecit: *ast adytum*, quod non necessarium est, neque perspicio, cur Arevalo uoc. *lambibat* displicuerit. 176) *recusant* VR: correxit Arev.

- Non uestis flammata uiris, non crinis adustus,  
 Pruna nec extremae laesit uestigia plantae,  
 Conculcata licet toties gradientibus illis.  
 Illaesos pueros expauit Persa tyrannus:
- 185 (180) Egrediantur, ait, dominum confessus eorum  
 Plenius, atque suum solium iubet omnis adoret  
 Parthicus, imperio subiectus regis et aulae.  
 Saeua Danielem rabies atque ora leonum  
 Non tetigere pium, cui destinat insuper escam
- 190 (185) Magna Dei pietas, ieiuno utrobique leone.  
 Quis petit et uixit uenator inermis arenam?  
 Amphitheatrales qui non tremuere furores,  
 Quum crepitante sono productor uerberat auras,  
 Longius assistens, Massylum ex arte lacessit,
- 195 (190) Lintea fluxa trahens? uenabula longa tenentur  
 Poplite subnixo, duro sub pelle lacerto,  
 Inguinibus strictis, nudato pectore fixa,  
 Quum residens caueis inter spectacula festa  
 Vota facit populus, ualida ne bestia uotum
- 200 (195) Sanguinet ore fero, faciens in morte ruborem.  
 Quando duos pariter suscepit arena leones?  
 Praesidio si capsula fugae spatiosior orbet,  
 Clausa patensque simul, biseno cardine uerso:  
 Hinc uir adest atque inde fera, stans unus ad unum;
- 205 (200) Hinc armata manus ferro, hinc dentibus ora.  
 Et tamen auxilio supra caput imminet alter,  
 Morsibus illis ne bestia membra iacentis  
 Vexet, et horrorem faciat dilecta uoluptas.  
 Quis, rogo, tam saeuas rabies compescere uindex
- 210 (205) Armatus praesumpsit homo? clarissimus ille

181) *Non uentis flammata* VR: restituit Arev. 182) *Prima nec* VR. *Flamma nec* Arev. edidit. 183) *illis* pro diuersa scriptura *illic* V. *quotiens* gr. *illic* R. 186) *Plenus atque suum solum iubet omnis* (hoc uoc. non clare) V: *solum* Arev. qui etiam restituit *Plenius*, quod exstat in R: idem *solum*. — *Suum* = *eius* Arev. 187) *Particus* R. 190) *ieiuno utroque leonem* VR. *leone* Arev. qui etiam coniecit *ieiuno utrimque leone* uel *ieiuno uentre leonum*. Equidem uoc. *utroque* pro Adverbio accipiendum censerem, sed propter sententiae perspicuitatem aliam eius formam substitui: *ieiuno utroque leonem* *Quis petit et u. u. i. arena* coniectura nescio cuius allata ab Arev. in Add. pag. 467. 191) *harena* VR: *arenam* Arev. edidit. 192) *qui* obscure in V. 193) *Cum cr. s. productor* R, *productor uerberet* V: *productus uerberat* Arev. edidit. 194) *massilum* R, *mansilum* V: *massylum* Arev. restituit. 195) *longa tenenti* VR: correxit Arev. 196) *dura* R, uti Arev. coniecit. 197) *mutato pectore uisa* (sed *uisa* an *iusa* dubium, nec clarum u. *pectore* in V) RV: *nudato pectore sursum* (sic editum) uel *supra* uel *dextro* Arev. coniecit: *fixa* (num *nisa s. nira*?) intell. *uenabula*. 189) *Cum* R. *redens* correctum *recidens* V. 199. 200) *Vota facit populus, ne ualida bestia nota Sanguinis ab o. . . . .* V: *Vota facit populus ne ualida bestia nota Sanguinis ab ore forte facies in morte ruborem* R: *Vota f. populus, ualido ne bestia morsu Sanguinis humani sanie perfusa madescat* Arev. edidit. *uotum* = ad bestias damnatum (?). Ceterum hic u. et sqq. male inter se connexi uidentur, pluraque inter eos excidisse putō. 202) *Praesidio si capta fugae spatiosior orbis* VR. (nisi quod in hoc *Presidio* et *fuge*): *Pr. si porta f. sp. obstet* Arev. edidit. Equidem scripsi *orbis* pro *orbis*, sed ne sic quidem sententia recte se habere uidetur. 203) *bis seno* R. 204) *inde* R, uti Arev. edidit: *atque uir fera* V (atque in fera?). *stant* uel *stat* Arev. coniecit. 208) *et honorem faciat* V, *horrorem* R, uti Arev. correxit. *uoluntas* R. 209) *compescier unus* Arev. coniecit. 210) *illo* VR: correxit Arev.

- Alcides, quem monstra ferunt domuisse nefanda,  
 Qui uirtute polos meruisse est dictus et astra,  
 Vix unum exstinxit captum per colla leonem,  
 Si tamen hunc uerax per saecula fama locuta est.
- 215 (210) Sed hic plena fides hominis pietate Tonantis  
 Exegit uirtutis opus, miracula summa.  
 Ille Dei famulus fuerat, non forte Dianae,  
 Quae solet insontum fuso gaudere cruore,  
 Sanguinis humani nunquam satiata, cateruis
- 220 (215) Hospitibus caesis: humana tabe madescit  
 Taurica per Colchos crudelis uirginis ara.  
 Petrus Apostolico digne subnixus honore,  
 Discipulus Domini, crucis almae signifer, et dux  
 Gentibus innumeris positus sub lege fideli,
- 225 (220) Retia post pelagi ulissima piscis aquosi  
 Praeco Dei solers, et ueri dogmatis index,  
 Ianitor aethereus, uel primus in orbe sacerdos,  
 Temporibus placitis Christo regnante tonanter,  
 Quanta, docens populos, turbis miracula fecit,
- 230 (225) Impendens Asiae nulla mercede salutem  
 Europaeque simul, nixus uirtute magistri!  
 Et ne Roma diu nesciret munera Christi,  
 Hanc, Paulo comitante, petit, pia iussa sequendo.  
 Exorans precibus Magum, per celsa uolantem,
- 235 (230) Simona mendacem sternit, spectante Nerone.  
 Ficta dei proles nimia est collapsa ruina.  
 Sic imitatore sed non imitabilis ignis,  
 Fulmina mentitum, perculsum fulmine uero  
 Sacrilegum cecidisse ferunt Salmonea regno.
- 240 (235) Ecce quid alma fides exegit ab arce Tonantis,  
 Vt uitas mortisque daret sermone fideli.  
 Mors cita, uita redit, uerbo mandante, recurrit.  
 Naturae famulatus adest, seruire paratus:  
 Obsequitur, Dominique uices cognoscit agentem.
- 245 (240) Exigit hoc semper spes, uox pia, uita fidelis.  
 Omnia nam constat precibus cito posse mereri,  
 Viuere quis libuit sub tali tramite uitae.

214) hunc R, huic Arev. ex V. 217) non forte dianae VR: non sorte Arev. edidit. 220) madescens VR. 221) percolcos R. 226) Prego dei V. Praeco R, uti Arev. correxit. 228) Temporibus nostris ad marg. placidis V: illud Arev. recepit: placidis R. 233) iussa secundo V, sequendo R, uti Arev. cor-  
 rexit. 234) Exorat precibus magnum per VR: restituit Arev. 235) Symona R. 237) imitarem (al. m. suprascriptum to) R, imitarem V: correxit Arev. 238) percussum R, quod aequae bene se habet atque percussum. — culmine uero VR: correxit Arev. 239) Salmonia regna V, Salmonea regnao (eadem m. correctum) R: Salmonea regem Arev. edidit. 240) quid uel quod V. 243) famulatur V, famulatus R, uti Arev. restituit. 245) semper spes sors pia uota VR: simplex spes, uox pia, uota Arev. edidit: idem coniecit etiam sermo uel bucca fidelis. — uita coniectura nescio cuius allata ab Arev. in Add. pag. 467. — 246) Hic u. in R. post u. seq. collocatus est: prius fuit Viuere quos postea Omnia nam in V. 247) quos libuit R, Arev. ex V.



- Qui si cuncta uelim miracula currere solers,  
 Non mihi sufficient mortalis tempora uitae;  
 250 (245) Multa licet maneant sub quouis limite longo.  
 Sed ne forte legat haec carmina nostra profanus,  
 Quem lateat lex sancta Dei, nec credulus exstet,  
 Impendat quid pura fides, praesumptio simplex,  
 Nec tamen aeternum modico pro tempore quaerat,  
 255 (250) Et neget Abraham tantum fecisse beatum,  
 Vel quoscunque docet sancta scriptura fideles:  
 Historias currant Danaum gentisque Quirinae,  
 Quid pro laude sua, uel quid pro regno alieno,  
 Mentibus infectis animosae cladis amore,  
 260 (255) Ausi omnes, scelerare manus de morte suorum  
 Aut certe de strage sua. Menecea Creontis  
 Staius ostendit, qui fuso sponte cruore,  
 Vt pater orbatus furiarum regna teneret,  
 Thebanos proprio perfudit sanguine muros.  
 265 (260) Si consanguineos scelus est iugulare propinquos,  
 Est furiale nefas in se conuertere ferrum.  
 Hoc facinus nec nomen habet, sed nemo profecto  
 Miretur hominum tam saeua piacula gentis.  
 Non aliter potuit sceptrum transire profanum  
 270 (265) Ad successores, quod gesserat Oedipus unquam.  
 Iam ferus ipse Creon Iocastae proximus heres  
 Et germanus erat: quasi lex est ipsius aulae,  
 Criminibus lacrimisque ducum sua regna dicare.  
 Codrus Apollineae tripodis responsa requirit:  
 275 (270) Accipit infelix, alieni causa triumphii.  
 Vestibus indutus famuli post arma tyranni  
 \* \* \* \* \*
- Nam cui bella negant, fecerunt iurgia mortem:  
 In dubiis mos est inopem simulare tyranno.  
 Ausa Leonidae nocturnaue bella legantur.  
 280 (275) Castra inimica petens inuasit nocte silenti,  
 Et fuit una cohors, tantum munita tenebris.  
 Nox erat umbo uiris, manus haec confisa periclis,  
 Spe mortis praesumpta suae. Qui luce repulsa  
 Millenos petiere uiros spernendo salutem.  
 285 (280) Inuadunt populos, obscura strage cruentant:

248) *Quod si* Arev. edidit: *Qui* VR: fortasse *Quin.* 250) *limite longo* R, uti Arev. correxit: *milite longo*, prius *longe* V. 251) *sorte* R. 253) *praesumptio* R. 254) *dubium pro an prae*, obscurum etiam *quaerat* in V. *Et tamen* Arev. coniecit. 258) *Qua pro l. s. uel qua* Arev. ex coniectura edidit. 260) *Aut si omnes* VR: correxit Arev. *ausi* intell. *sunt* uel *sint.* 262) *quia fuso* R: *ambigue quia* pro *qui* V. 264) *mures* V, *muros* R, uti correxit Arev. 265) *iugulare* R, uti Arev. correxit: *uulgare* V. 266) *Et f. n. inse* R, *Et f. n. uisae* V: correxit Arev. 270) *hidipus* V, *Hidippus* R: correxit Arev. 273) *ambiguum dicari* an *dicare* V. 274) *requirit* Arev. edidit: *resciuit* VR, quod fortasse ferendum est. 276) *petit arma* Arev. ex coniectura: *satis infeliciter*. Vix *dubium* est, quin post hunc u. nonnulla exciderint. 277) *Et uel Tum cui* Arev. coniecit. *iuria* R: *uiria mortem* V: correxit Arev. 278) *mors est* VR. *Indubia* uel *Indubie mors* Arev. coniecit. 283) *dubium qui an quae* an aliud sit legendum ex V.

- Dum nescit quem quisque ferit, cui quisque repugnat,  
 Obtruncat socium, carum prostrernit amicum,  
 Amputat ignarus fratrem, iugulatque propinquum.  
 Dum pater obscura defendi nocte putatur,  
 290 (285) Sic ibi procubuit nati pietate peremptus.  
 Viueret et uitam longo produceret aeuo,  
 Ni sobolem genitor nimiae pietatis haberet:  
 \*Foedera nam rerum punitur crimine sancto\*  
 Nec reor esse nefas Persis occidere patres,  
 295 (290) Quos sua iura probant thalamis asciscere matres.  
 Ara Philenorum Libycas possedit arenas.  
 Limitis exusti fratrum memoranda sepulchra.  
 Exstiterunt aliis, non tam sibi mentis auarae;  
 Nec cespes fecundus erat, sed limes adustus,  
 300 Soluit et in cinerem coctas plaga feruida glebas:  
 Hinc sitis, inde fames steriles retinebat arenas.  
 Portio telluris, tantum concessa Medusae,  
 Solis adusta rotis, nigris infecta uenenis,  
 Ignibus aethereis, gelidis obsessa cerastis,  
 305 (295) Inter serpentum glacies atque aeris aestus.  
 Ignorat mutare uices per tempora tellus,  
 Puniceum retinens ingenti sole ruborem.  
 Illic securi spatiantur ubique chelydri,  
 Defendit quos flamma nocens, ubi nulla potestas  
 310 (300) Est exsertorum, quorum sub iure tenentur.  
 Quid facerent fratres, si florea rura petissent,  
 Si tellus fecunda foret nimis ubere glebae,  
 Aut si uipereis non esset noxia tellus  
 Flatibus, et nullas mandarent sibila mortes?  
 315 (305) Nonne per extremos issent, qua flammeus axis,  
 Extendit qua zona polos rubicunda colore,  
 Aut hiemis glacies aeterno frigore tristis  
 Semper anhelantis torpet ignara uaporis?  
 Haec plaga germanos nunquam prohiberet euntes,

286) *nescit quaecumque ferit quicumque* (ultimum uoc. obscure) V, *quencumque ferit quicumque* R: restituit Arev. 288) *iugulatque* V. 289) *defendi* R: *defensi* V: *defensus* Arev. edidit. 290) *Sic ubi* VR: correxit Arev. 292) *Hi sobolem* VR: correxit Arev. 293) *Foedera* (*Federa* R) *nam rerum punitur crimine sancto* VR, corrupte: medelam adhibere non ausus sum, cum uerisimile sit, plura excidisse: *Foedere namque reus punitur* sqq. Arev. edidit, quae equidem non intelligo. 296) *liuicas* alia m. correctum *libycas* R. 297) Hunc uersum cum quattuor seqq. ex R. adieci. 298) *Extiterant* R. 300) *Soluet incinerem coctas* R. 302) *Portio telluris tantum* . . . . V, *Portio telluris concessa tantum medusae* R (sed uoc. *concessa* litt. b, uoc. *tantum* litt. a ab alia m. superscripta): *Portio telluris fratrum concessa furori* Arev. edidit. 304) fortasse: *Ignibus aeternis*. 308) *Illi* R. *chelydri* V. *chelydri* alia m. ad marg. *chelydri* R. 309) *nocens ut nulla potestas* R, *nocens quos nulla potestas* V. 310) *Et sibi sertorum quorum* VR: *exsertorum* (uel *exsectorum*) = eorum qui anguibus uenenum exsecant in eosque ex uulgari fama dominationem exercent: *nocens, quos terra perusta Tot desertorum, quorum* sqq. Arev. edidit: idem etiam coniecit *nocens et arena perusta* uel *nocens, terraeque recessus Et desertorum*. Posset etiam scribi *nocens: uel nulla potestas Est ibi sectorum* sqq. 311) *iura* VR: correxit Arev. 312) *minus ubere* VR: correxit Arev. 315) *per exinos* R, *per exinos* V: *pererrantes* Arev. edidit, sed plura tentauit: *per Eurinos* uel *per extrema inissent* uel *peregrini inissent*: frustra. 316) *Extendit uelut zona* R. 318) *torpens* VR: correxit Arev.

- 320 (310) Limite sed posito niueas mensura pruinas  
Finderet, et Scythicas retineret acta paludes.  
Quae Romanus amor patres implere coegit,  
Dicere, si ualeam, uero sermone probabo:  
Optima nam uindex exempla ac pessima Brutus,  
325 (315) Horror amorque nouus, cuius pius, impius auctor,  
Iure pater patriae, natis et regibus hostis,  
Atque pudicitiae laesae castissimus ultor  
Post regale nefas, quod castae ingessit adulter,  
Inuasor thalami genialis, praedo pudoris.  
330 (320) Quod scelus admisit, postquam fera regna tyranni  
Expulit, et gemino perstrinxit consule Romam,  
Annua festiuis disponens fascibus acta?  
Regia bella gerens naturae bella peregit,  
Membra cruore suo perfudit ab hoste reuersus  
335 (325) Consul, et in sobolis uertit pia colla secures,  
Hostibus aptatas, funesta fraude profanas,  
Ciuiibus hostiles, oratricesque suorum.  
Ibat in exsequias iuuenum execranda senectus:  
Vnus erat uitae natorum et funeris auctor.  
340 (330) Hoc scelus admissum tam saeuo crimine non est:  
Dulcis amor patriae, qui patrem fecit amarum,  
Aut fecit non esse patrem iam prole perempta:  
Pro quibus arma tulit, hoc se qui pignore priuat?  
Alter erat senior, qui natam perculit ense,  
345 (335) Quando dolens genitor planctus de pignore fecit.  
Affectus perimit, ne condemnanda libido  
Tolleret ingenuae cum libertate pudorem.  
Causa pudicitiae naturae iura diremit,  
Libertatis amor uincit pietatis amorem.  
350 (340) Immemor hinc generis factus, non immemor Urbis,  
Sanguinis oblitus fecit de patre nouercam.  
Virginis eximiae pater impius esse recusat,  
Ne sit auus famulis, pondus ditionis honestas  
Extimuit: formido fuit lasciuia uoluptas,  
355 (345) Illicitosque toros obsceno crimine captos

321) et *squaticas* r. *tacta* V, *squaticas* (*scythicas* al. m. *suprascr.*) r. *tacta* R: *tracta* Arev. edidit: idem etiam coniecit *tuta*. 322) *patres* obscure in V. 324) *bruchus* VR: in hoc corr. *brutus*. 325) *Orror amorque n. cuius p. i. auctor* R, *Honor a. n. cuius p. i. autor* V: restituit Arev. idem coniecit: *Terror — impius altor*. 327) *ultor* Arev. emendauit: *auctor* VR. 328) *Caste gessit* VR: restituit Arev. 329) *Iam maritalis genialis* VR: correxit Arev. qui etiam coniecit *Iure maritali* uel *Atque maritalis* uel *Iam matronalis*. 330) *admisit* R, uti Arev. correxit: *amisit* V. 335) *Consulet et sobolis* VR: restituit Arev.

341) *auarum* (ead. m.) R. 343) *tulit hostes qui pignore probent* (magis *probent* videtur quam *probet*) V: *tulit hostes qui in pignore probent* et ead. m. corr. *praebent* R: emendauit Arev. 344) *natum* VR: correxit Arev. 346) *Perimit affectus ne condemnanda* R: *Perimit aff. ne corde dubium premenda an probanda* an aliud in V. *Affectus perimit* Arev. correxit: idem edidit *Praeuinit affectus ne corde premenda*. 347) *ingentia cum* R: *ingenti* Arev. ex V. 349) *uincit* VR: *uicit* Arev. edidit praeter necessitatem. 350) *Urbis* Arev. emendauit: *orbis* VR. 353) *famulus* VR: *famuli* Arev. edidit. 355) *thoros* R, uti Arev. *choros* V.

- Horruit iratus: gemitus uirtute doloris  
Fundit uirginei truculentus funeris heres:  
Libertatis opus solatia planctibus egit.  
Militis armati tantum potuisse dolorem,  
360 (350) Mirantur populi, quia captus amore pudoris  
Hostis erat generis, prolis mors, sanguinis haustor.
- Quid Torquata manus? nato pro laude periculum  
Intulit, ostendens, quae sit censura parentis:  
Nam neque culpa fuit. Patriae pugnando triumphum  
365 (355) Vulneribus dedit ille suis, quibus hoste perempto  
Contigit exstingui, tanquam superata inuentus.  
Quamuis nemo suas strauit post bella cohortes,  
Reliquias cladis gladio feriente necauit.  
370 (360) Addo, quod inuictum dantemque ex hoste tropaea  
Munibus eripuit patriae de clade duelli.  
Quis, rogo, dux poena est unquam in uictoribus usus?  
Aut quis adoratum, populo laudante per urbes,  
Inter uictrices audax post bella cohortes,  
375 (365) Atque triumphales post horrida proelia curus  
Percuteret sublime caput, lamenta triumphis  
Iungeret, et laetis misceret tristia rebus?  
Oppressit uotiuua dolor, festiua recedunt,  
Publica funereo turbantur gaudia luctu.  
380 (370) Poenituit uicisse ducem, cui gloria mortem  
Intulit, et miles bellorum prospera fleuit.  
Dum lueret uictor poenas uirtutis honestae,  
Maxima iustitium uictoria grande parauit.  
Vindicat hostiles gemitus fera dextra parentis,  
385 (375) Sanguinis ingessit pietas inimica dolorem.  
Barbara quem rabies, hostili cuspide missa,  
Si fudisset atrox, respublica tota doleret,  
Pullati proceres, uadimonia nulla fuissent,  
Crinibus effusis lacerasset pectora palmis  
390 Illustris matrona dolens, plebeia lacertos  
Scinderet, ungue secans uultus pia turba modestos.

356) *iratos gemitus uirtute doloris* R: eadem in V, nisi quod *dolores* scriptum: *iratus: gemitus, uincente dolore* Arev. edidit. 357) *Fundit* VR: *Fudit* Arev. cf. u. 349. Idem coniecit *Virginiae*. 358) *onus* R: *plantibus* V. 360) *Miratur* et obscure *quia* V: *qui captus* Arev. coniecit. 361) *haustor* Arev. emendauit: *hostis* VR. 367) *suas* Arev. coniecit: *sua* VR. 368) *Rel. gladiis gladio feruente necabit* VR: restituit Arev. 369) *tropaea* R: *trophaea* Arev. 370) *Moenibus (Maenibus R) ereptis* VR: eripuit Arev. correxit. 371) *dux princeps unquam est uictoribus ausus* R (sed litt. a noc. *ausus* oblita uidetur): *princeps inique* (hoc. noc. ambiguo) *est uictoribus ausus* V: *dux poenas unquam est uictoribus ausus* Arev. edidit, qui etiam coniecit: *dux princeps tale est uictoribus ausus*. 372) *adoratur* VR: correxit Arev. 377) *uotiuua dolo* VR: correxit Arev. 379) *uicisse ducem* V. 382) *iustitiae* VR: correxit Arev. grande dubie in V. 383) *gemitus f. d. parentis* R, uti Arev. restituit: *genitus f. d. parentis* V. 384) *Ingressit* V. 386) Hunc uersum ex R. addidi, qui ad sententiam complendam plane necessarius est: *doleret tota* R. 387) prius *fuisset* supra *fuissent* V. Frustra operam dedit emendando huic uersui Arev. qui coniecit: *nulla fuerunt, u. sq. lacerauit, u. 390. Conscidit ungue*. 389) *plebea* VR: correxit Arev.

- (380) Vt quondam Iliades fleuerunt Hectora matres,  
Nympharum ceu turba suum tunc planxit Achillem,  
Vt Brutum planxit maesta cum plebe senatus.  
Non aetas, non sexus erat, qui funus acerbum
- 395 Non gemeret reputando suum: Torquata propago.
- (385) Sic est planeta diu, scelere prostrata parentis.  
Scaeuola flammipotens dextram contemnere dignus  
Constituit punire manum, licet ipse fefellit,  
Non manus audaces animos: plus praestitit error,
- 400 Vt sine morte ducis uir tantum laudis haberet.
- (390) Non Romana nurus doluit per bella maritum,  
Non genitor natum planxit, non nata parentem,  
Non orbata parens defleuit funera nati,  
Non germanorum mortes fleuere sorores.
- 405 Nec bellum pax ulla ligat pretiumue redemit:
- (395) Vna manus bellum tantum compressit inermis.  
Quid Romanus eques? uasto telluris hiatu  
Praecipiti iactu demersus sponte per umbras  
Curtius: ingemuit, quum uiuum terra cadauer  
Sorbuisset, armato deterrens funere manes.
- 410 Fortis et incolumis, populo mirante, sepultus,  
Vir galeatus adhuc ferrato corpore uisus  
Inter Tartareas sic descendisse tenebras.  
Pallida gens Erebi, poenarum portio tristis,
- 415 Tertia sors, quae lucis inops damnata laborat,
- (405) Credidit, Alcidem praedam repetisse secundam,  
Aut alium uatem casus reuocasse sinistros,  
Amphiarae, tuos, quem perfida uendidit uxor.  
Quid Romana fides? legatio Punica \*missus\*.
- 420 \*Terrota genitori dum maior Carthaginis hostis\*
- (410) Regulus impleuit, horrendae mortis amator,  
Otia contemnens, magnum cum plebe senatum  
Compulit infelix ad inexorable pactum,  
Captis lege data, poenarum ut uincla ferrent.
- 425 Immemor uxoris natos contempsit et Urbem:
- (415) Libertatis opem nec ferrea uincla tenebant.

## h

391) *pectora matres* V. *pectora matres* (illud h alia m. suprascr.) R: Hectora Arev. restituit.  
397) *dextrae* VR: emendauit Arev. 398) *ipse* R, uti Arev. edidit, idem tamen *ense* coniecit: *in se* V.  
400) *Et sine* VR: correxit Arev. 404) *Nec germanorum mortem* R. 407) *Quid? Romanus* sqq. Arev.  
edidit: *demersus* intellectum est: et in uersu seq. *ingemuit* intell. terra. 408) *dimersus* VR: correxit  
Arev. 409) *Curtius insiluit* Arev. coniecit: *quum uiuum* R, uti Arev. correxit: *uinum* V. 410) Post  
hunc u. interrogationis signum posuit Arev. uel ita coniecit *Sorbuisset*. *Armato deterret f. manes Fortis*.  
415) *qua lucis* V: *que* (sed e non clarum) R: correxit Arev. 419) *Quid romana f. l. punica missus* VR.  
420) Praeter litteram T nihil in V. inuenitur: in R. plane ita, uti a me scripta sunt, uocabula exstant: ea  
emendare non animus erat, quia certum esse uidetur, haec plurium uersuum fragmenta esse: *Punica misso*  
*Consule testatur*. *Reditu promissa fideli* Arev. suppleuit. 422) *Odiu constituens* VR: correxit Arev.  
424) *Captis l. d. poenarum* (paenarum R) *in uiscera ferrum*: restituit Arev. Fortasse legendum est *Poen-*  
*orum ut*. 425) *et urbes* VR: correxit Arev. 426) *Libertatis opus* fortasse ab aliquo lectum iri Arev.  
affert.

- Captium tum forte ducem iam liber agebat  
 Inter patricios, praetores atque tribunos  
 Plebis adorandae, domuit quae uiribus orbem.
- 430 Institit occidi, ne esset post bella superstes  
 (420) Hostis Elisaeus, quem par fortuna tenebat  
 Cum duce Troiugenum: qui pacta luce reuersus,  
 In sua membra furens, tormentis intulit artus,  
 Peruigil exstingui gausus lumine nudo,
- 435 Vt plus terreret Tyrios de morte minaci,  
 (425) Quam gladiis, quum bella daret pugnamque cieret:  
 Mox senis meritum formidauere cadauer.  
 Intemerata fides ad quae fera bella Saguntum  
 Compulit atque famem uel saeua incendia mortis!
- 440 Hannibal inclusis, nullo surgente reatu,  
 (430) Praeter quod fuerant Romanae gentis amici,  
 Crimen amicitiam reputans, pro laude periculum  
 Intulit et poenas exegit ab urbe fideli,  
 Perfida quas lueret sub iusto iudice turba.
- 445 Intoleranda semel tolerauit mensibus octo,  
 (435) Quae nec sponte fidem uiolat, nec clade coacta:  
 Victa caterua fame, gladios ut uinceret hostis,  
 Incendit patriae populum cum moenibus urbis,  
 Et sibi dat cum morte faces, secura sepulchri
- 450 Poscit ab igne neces, hostis sua mira triumpho  
 (440) Subducens et colla iugo: rogos omnibus unus  
 Moenia sunt, patria est tumulus, cinis omnibus idem.  
 Signa ducum antiqua, pro libertate cremata  
 In cineres iacuere suos cum moenibus urbis.
- 455 Nec iuga Romani fuerant metuenda senatus:  
 (445) Parcere uictor amat, sed debellare rebelles.  
 Vrget et hortatur ueniam implorare: sueuit  
 Pacis et armorum similes portare triumphos.  
 Inuenire magis, cui dent post bella salutem,
- 460 Quam bellis punire uolunt. Vel sic tamen illa  
 Libera conspirans flammis ciuilibus ussit,

427) tum sorte Arev. coniecit. 429) adorandae — que (hoc uoc. obscure) V. 431) Eliseus VR: Elissaeus Arev. edidit. 432) qui (hoc. uoc. dubie) tempora luce V: qui tpa luce R: pacta Arev. ex coniectura edidit. 440) inclusos VR: correxerit Arev. 441) Praeter quam quod erant Arev. coniecit: humanae gentis R, Arev. ex V. 442) amicitiae VR: correxerit Arev. 443) Intulit R, uti Arev. restituit; Impulit V. 444) iudice VR: uindice Arev. edidit. 446) nec sponte ridens uiolat V, sponteridem uiolat R: correxerit Arev. 447) cateruae ame gladios R, cateruae a me gladios V: caterua tamen, gladios uel clades Arev. coniecit. 448) Incēdit (illa linea ab al. m. addita) patriae populos cum R: Incedit patriae populis cum V: restituit Arev. Fortasse Incendit patriam, populans c. m. urbem. 449) faces (uel fugam) Arev. restituit: fuges V, fugos R: sepulchri Arev. ex V (?). 450) sua iura R. 452) Haec moenia (maenia R) sunt patria et tumulus cinis omnibus ignis VR: idem Arev. restituit. 453) Signum. . . . . V: Signum anti. . . . . pro libertate cremat. . R: Signorum uis magna, ducum monumenta soluta Arev. suppleuit. 456) rebelles R, superbos Arev. ex V. 457) uenia indonare V, ueniam donare R: restituit Arev. sueuit VR: suetus Arev. edidit. Idem etiam haec coniecit: et hortatus ueniam implorare sueuit. 459) Inuenisse Arev. ex coniectura edidit. 460) Q. uellis p. uolunt sic VR: bellis p. uolunt. Sic urbs tamen Arev. edidit. 461) Libera conspirans flammis VR: Libera cuncta sua fl. Arev. edidit. Verbum ussit absolute positum.

- Non iram metuens clari post bella senatus,  
Sed ueniam: quia libera erat, seruire recusat  
Nec pavor est dominati..... sola.....
- 465 Mentibus ingenuis nec.....  
(455) Quae nos aeternae speramus munera uitae.  
Sed ne forte uiris tantum data uerba putentur,  
Et quasi sexus iners fragili sub corpore mollis  
Laudis opus metuens, ne sit sibi fama superstes,
- 470 Tormentis quaesita suis, aeterna recuset  
(460) Plurima dona Dei: laudis mala femina summae  
Materiem retinere potest. Audacius illis  
Deprensus nihil est: animos de crimine sumunt,  
Datque nimis grandem mulieribus ira furorem.
- 475 Vnde igitur furiale nefas assumere possunt,  
(465) Inde pios animi rapiant sub pectore motus,  
Et faciant, quod honesta decet, quod fama pudoris  
Exigit et uitae prodest sub laude futurae.  
Iudith Holofernem castissima finxit amare,
- 480 Et sibimet peperit de ficto crimine laudem,  
Castra ducis metuenda uiris ingressa uirago:  
(470) Inter belligeros fremitus et tela cruenta,  
Inter et ensiferas saeuo sub Marte cateruas  
Ingreditur uestita fide, uestita pudore.
- 485 Et quod tanta manus non est aggressa uiro-  
rum,  
Nocte sub obscura perfecit femina sola,  
(475) Et duce truncato uiduauit castra tyranni.  
Quae caput apprehendens proceres portauit ad urbis,  
Ciuiibus una dedit cum libertate triumphum.
- 490 Femineo mucrone perit dux fortis et audax,  
Quem non bella domant, domuit promissa uoluptas:  
(480) Haec sperata licet, non est perfecta libido,  
Et certae noctis poenas persoluit adulter,  
Impollutus adhuc nullo sub crimine facti.
- 495 Semiramis dudum, Nino uiduata marito,  
Inuasit thalamos et regnum prolis amatae.

463) quia libera Arev. coniecit: qui (hoc. uoc. obscurum in Y) liber VR. 464. 465) Horum duorum uersuum reliquias ita edidi, ut in R. exstant: tantum pro Nec in eo est Noc uel Hoc: Nec pavor est dominanti..... Mentibus ingenuis ne..... V: Et pavor est Afro dominanti subdere colla. Mentibus ingenuis nec tunc promissa patebant Arev. suppleuit. 467) putantur VR: correxit Arev. 469) Laudis honos m. ne sit tibi fama VR: correxit Arev. 470) Tormentis quaesita uita aeterna R, Tormentis quaesitam (dubium an quaesitas) uita aeterna recuset V: Tormentis, sequitur quae uita sqq. Arev. edidit. 471) femina sume supra summe V. 473) Deprensus R, uti Arev. restituit: Deprehensus V. 474) mulieribus R, uti Arev. restituit: uulneribus V. 475) furie V, furiae R: restituit Arev. 476) animi capiunt (capiant?) Arev. coniecit. 477) faciunt sed ead. m. correctum faciunt R, uti Arev. correxit: faciunt V. quod honos doceat Arev. coniecit. 479) Iudit (alia m. correctum Ludit) olofernem R, Ludit Olofernem V. 480) Hunc uersum ex R. adieci. 483) ensiferae s. s. m. cateruae VR. correxit Arev. 488) caput ad patrem (hoc uoc. non clare) proceres pro proceris V (?): caput ad prem proceres p. ad urbes R: caput apprensus (apprehendens idem coniecit) proceris p. ad urbem Arev. edidit. 495) Femina prima ducum uno uiduata marito VR: Semiramis dulces Nino Arev. restituit: dudum = diu.

- (485) Exhibet infelix incesto pectore matrem,  
Et sibi socrus erat, fili turpissima coniux:  
Bella diu gessit, iuuenem mentita sub armis.
- 500 Quis neget iratae Tomyris crudelia bella  
Cum duce Persarum Cyro sub fraude peracta?
- (490) Ultrix facta sui post tristia funera nati,  
Dum regale caput demissum sanguine multo  
Clausit in utre cruor, quem mens furiata dolore
- 505 Fuderat, innumera iuuenum ceruice recisa.  
Casta quid Euadne fecit, Capaneia coniux?
- (495) Dum post sulphureos iaculati fulminis ictus  
Ignibus appositis arderent ossa mariti,  
Conscendit mox uiua rogos: uiduamne uocemus
- 510 Quae simul infernam cum coniuge uenit ad urbem?  
Diues Dido, fugax exstincti coniugis ultrix,
- (500) Urbis Elisaeae perfectis moenibus amplae,  
Ipsa pyram manibus propriis construxit, ut aram,  
Quam pedibus furiata suis conscendit et arsit.
- 515 Impulit ad flammam accurrere funera uiua  
Aut amor Aeneae, ueniens aut terror Hiarbae.
- (505) Quid formosa nurus, populo spectante, pudica  
Post maculam thalami Lucretia casta peregit,  
Quam tulit infelix, alieni poena pudoris?
- 520 Vt rea procubuit, nullo surgente reatu!  
Concidit ense suo, mansitque superstes adulter,
- (510) Qui solus feriendus erat mercede pudoris.  
Milia femineis numerantur ubique cateruis  
Exempla scelerum, modicae uel laudis amore,
- 525 Aut certe fecere pie pro numine uano  
Conficti sermone dei, quem fabula mendax
- (515) Extulit, et miseros incassum orare coegit:  
Vnde nihil lucri, sed uitae damna tulere,  
Quum sit nemo Deus, nisi noster ubique tremendus.
- 530 Omnia praesenti solo sermone creantur  
Ipsius imperio, per quem sunt cuncta per aeuum.

497) Fortasse *Eximit* uel *Exiit infelix*. 500) *neget exqrite Tamiris* V: *neget exquirite tamiris* R: *iratae*, uti edidit, uel *orbatae* Arev. coniecit: fortasse *eximie*, referendum ad uoc. *crudelia*. 501) *fraude* R, *laude* Arev. ex V. 503) *dimissum* VR: *demersum* Arev. coniecit. 505) *recissa* V. 506) *Casta quod* R cum Arev. *capanea* R: *Capaneia* ex *Capanea* Arev. restituit. 507) *sulfureos* Arev. *iaculatai* R. 509) *uocamus* Arev. ex V. *rogamus* et ead. manu correctum *uocamus* R. 510) *urbem* pro hoc uocabulo prius aliud fuerat in V: *infernas cum c. u. ad umbras* Arev. ex coniectura edidit. 511) prius *urbem* correctum *ultrix* V. 512) *amplae* R: *ample* Arev. ex V. 513) *contruxit* V: *ut aram* VR: *et aram* Arev. edidit. 515) *funera uiua* VR: *funere uiuo* Arev. edidit. 516) *Aeneae, aut ueniens terror* Arev. ex coniectura edidit. 523) *femineae n. u. cateruae* Arev. coniecit. 525) *pie* R, 526) *dei quos* VR: *Conficto sermone deum, quos uel Fictorum sermone deum quos* Arev. coniecit: ab eodem *quem* restitutum. 527) *incassum adorare*

VR, quod fortasse ferri debet, cf. u. 6. *orare* Arev. edidit. 528) *nihil Christi sed* V: *nihil cristi* (sed c correctum eadem m. fuisse uidetur t) R: *lucris* Arev. emendauit. 530) *precepti solo* R: *praecepti* Arev. quod non intelligo.



- (520) Ecce Deus uerus, de quo nil fingitur, in quem  
 Fabula nulla cadit, quem nunquam uerba disert  
 Exornant, aut corda notant, cui tempora nil dant  
 535 Aut releuant, currente die; qui saecula mutat,  
 Saecula nec tamen hunc mutant, quia quod fuit, hoc est,  
 (525) Hoc erit aeternus: qui praesens constat ubique,  
 Omnia qui tollit minuitque uolatile tempus:  
 Incrementa Deus uel decrementa recusat;  
 540 Idem semper erit, nunquam mutabilis aeuo.  
 Qui quum sit dominus, se uult tamen esse parentem:  
 (530) Exhibet, impendit, praebet, testatur, adoptat  
 Nos genitos uocitare suos: nos ergo fideles  
 Viuere debuimus, tanquam factoris imago,  
 545 Quos deceat factura Dei pietate magistra.  
 Rex pic, bellantum cui tota potentia supplex,  
 (535) Fit, quodcunque iubes: effectus iussa sequuntur.  
 Stat famulans natura Deo, constructa elementis,  
 Nescia, quid iubeas, donec praecepta repente  
 550 Audiatur, et domino citius parere laboret,  
 Exsultans iussisse sibi, gauisa ministrat,  
 (540) Perficit iniuncta placido sermone iubentis;  
 Et rerum natura parens famulata tremiscit,  
 Per quem celsa poli, tellus, mare, sidera constant,  
 555 Et gestit seruire pauens. Quota portio rerum  
 Nos sumus audaces, ut contemnamus acerbè  
 (545) Imperium caeleste truces? par crusa locetur  
 Nostra Deique simul? qui uult sua uota uenire,  
 Impleat ipse Dei: simili ditione uoluntas  
 560 Seruorum dominique manet pietate modesta,  
 Qualiter optamus nostra spe uota mereri.  
 Quin nos iussa Dei fieri contemnimus ultro,  
 Nec sumus ignari, quid sit fas, quidue nefastum:  
 Gens scelerata sumus, nil de pietate merentes.  
 565 (550) Quorum primus ego, plus quam peccator habendus.

533) *diserta* Arev. coniecit. 534) *aut forte rotant* VR: *sorde* quod edidit, uel *forte* uel *sorte* notant Arev. coniecit. 535) *Aut recolunt* VR: *releuant* Arev. edidit: idem etiam coniecit *Aut minuunt* uel *demunt*. 536) *Secula nec tamen* . . . . . *Nec mutant hunc secta tamen quia quod fuit hoc est* V, omissis illis Arev. hunc posteriorem u. recepit. *Saecula nec tamen hunc mutant quia quod fuit hoc est* Nec mutant hunc saecula tamen quia quod fuit hoc est R: alterutrum horum uersuum tantum retineri posse apparet, itaque posteriorem sustuli. 538) Sic VR: *quum tollat minuatque* Arev. ex coniectura edidit. 546) *bellantum comitata potentia* R, Arev. ex V: *bellantum cui tota* uel *bellantum comitata potentia*, semper Arev. coniecit. Posset etiam scribi: *bellantum cui (quod, ex quo factum comi) tanta potentia*. 547) *secuntur* R. 548) *stat* R, uti Arev. restituit: *stans* V. 550) *laborat* R, Arev. 551) *Exultans iussisse s. g. ministra* R: *Exultans uixisse s. g. ministra* V: restituit Arev. uti edidi, aut retinendum censeo *ministra*. 555) *Et gestit seruire pauens* VR: correxit Arev. uti editum, uel coniecit *gestit seruire pecus*. 557) *par causa locatur* R: *truces pacare loquetur* correctum *loquetur* V: *praecepta sequatur* Arev. ex coniectura edidit. 558) *uenire* ad marg. est *mereri* V, in qua scriptura superest particula eorum, quae in V. exciderunt. 559) Hunc uersum cum duobus seqq. ex R. adieci: uestigium eorum deprehenditur apud Alcuinum Carm. 179. (sec. Arev. qui assert, illum saepe Dracontii uersus expressisse): *Impleat ipse Dei, qui uult sua uota uenire*. 562) *Quum nos* R, Arev. ex V. *facere contemnimus* Arev. coniecit.

- Quando fatebor enim, scelera simul esse reatum  
Pectoris et carnis? non si mihi ferrea uox sit,  
Ora tot exsurgant, quot dentes ossibus albert,  
Aut mihi sint linguae, quantos caput omne capillos  
570 (555) Pectinat, explebo numerum sine fraude fidelem.  
Sed satis est dixisse reum sub crimine cuncto,  
Quod tua iussa uetant, solus peccasse fatebor,  
Omne, quod horrescis, non me fecisse negabo.  
575 (560) Qui prodest cuicumque nefas celare peractum,  
Quum iudex et testis ades, Deus unus et idem?  
Sacriliga quasi mente putem, non omnia nosse  
Aut aliquid nescire Deum: quin fraude nocebit  
Mens mea, quod reticet; quum, si confessio simplex  
Indicet admissum, uenia sperata sequetur.  
580 (565) Qui negat, ipse sibi ueniam iam sponte negauit.  
Ergo ego confiteor miseranda mente reatum  
Plenum, grande malum, non uno crimine partum.  
Nam scelus omne meum numeros superabit arenae  
Littoris, et pelagi uincet mala nostra liquores.  
585 (570) Non puto diluuium tantos punisse reatus,  
Quantos ipse gero, culparum pondere pressus:  
Flumina me scelerum rapiunt, quatiuntque procellae,  
Et peccatorum torrens simul obruit unda;  
Me delictorum merserunt fluctibus amnes;  
590 (575) Vsque animam uenit unda meam, grauis horror aquarum.  
Hei mihi quod facinus non uno tempore gestum;  
Vt mea facta luam, tempus conuenit in unum.  
Nunc ubi sit pietas, ubi sit miseratio prisca?  
Aut tua quo, Domine, clementia nota recessit?  
595 (580) Oblitusne mei es? precor, obliuiscere ne me,  
Omnipotens, sed facta mea: grauior undique pressus,  
Vincla ligant, tormenta domant, consumit egestas:  
Ludibrium generis, dolor omnibus atque inimicus  
Factus, et exutus magna de parte bonorum;  
600 (585) Crinibus intonsus, pannis squalentibus usus;  
Notus et ignotus, uae, sum: abihere parentes,  
Et quibus impendi, mox didicere propinqui;  
Vel quicumque fuit, subito discessit amicus.  
Agmina seruorum fugiunt, tempore clientes,  
605 (590) Nec dolere meam tanta sub clade ruinam:  
Irascente Deo solatia cuncta negantur.

566) *scelerum simul esse* VR: *scelera simul, atque reatum* uel *scelerum numerum, atque reatum* Arev. con-  
iecit. 568) Fortasse *oribus albert*. 569) *caput* Arev. restituit: *capit V, cap R*. 577) *deum cui fraude* VR: *sibi fraude* Arev. ex coniectura edidit. 578) *cum si R: quod si* Arev. coniecit. 583) *superabit* (uti editum)V, non *superauit* Arev. 584) *Littoris R, Lictoris V: Litoris* Arev. 594) *elementa* alia manu correctum *clementia R: elementa V: restituit* Arev. 599) *Fractus et exutus* Arev. coniecit. 601) *ignotus desunt abihere R, uti* Arev. 602) *Me quibus* Arev. ex coniectura edidit: *mox didicere* VR: restituit Arev. 605) *tantam R, quod defendi potest.*

- Hoc superest, ut uita cadat, nisi parcere mitis  
 Iusseris afflicto, quem sic fregere dolores.  
 Punisti errantem, nunc iam miserere fatenti.
- 610 (595) Poenitet en peccasse nimis: iam parce flagello,  
 Nam nequeo tolerare miser tot cladibus actus.  
 Aspice, quaeso, satis: precibus ne clauderis aures  
 Nostris, sancte, tuas, qui das praecepta benignus:  
 Ira hominis cum sole cadat de corde furentis,
- 615 (600) Et ueniam nox ipsa ferat; qui praecipis, ut sit  
 Saepius et frater clementior atque modestus:  
 Fac fieri, quod et ipse iubet, miserere rogantis,  
 Et lacrimas intende meas, quas fundo diurne  
 Tristis, et extenso prostratus corpore plango.
- 620 Me miserum, qui tanta fero, cui tanta parasti  
 (605) Supplicia scelerum: peccans (licet acrius uri)  
 Munera percipiam Domini redeunte fauore,  
 Quidquid amara dies, quodcumque et tempus ademit.  
 Lucem redde, precor, qui tempora subtrahis Iob
- 625 Aspera, restituens, quidquid malus hostis ademit.  
 (610) Arida qui reparas antiquis mortibus ossa,  
 Quae membris rediere suis, clamante propheta,  
 Atque homines factura uigent: reptante cruore  
 Humor ad absumptas intrauerat ante medullas.
- 630 Nascuntur uenae, iam neruis membra ligantur,  
 (615) Iam tegit ossa cutis, multos distenta per artus.  
 Quaerunt colla caput, constringit guttura ceruix,  
 Verticis eximii replentur et ossa cerebro.  
 Inde duces oculi geminato lumine uibrant,  
 Et palpebra tegunt lucis mundantque fenestras.
- 635 Scena capillorum, fundens a fronte coronam,  
 (620) Tempus et omne caput uestit de crine decorum,  
 Atque supercilium gemino supereminet orbi.  
 Naribus obductis duplex data semita uento;

607) *uita ut cadat* VR: correxit Arev. nisi fortasse scribendum est *uita ut cedat*. 609) *fatenti* VR: *fatentis* Arev. edidit. 611) *actis* supra *actus* V. 612) *Accipe* VR: correxit Arev. 614) *corde* *fruentis* VR: correxit Arev. 616) *praecipis, hoc sit* Arev. coniecit. 617) Hunc uersum ex R. adieci. 618) *diurne* R, uti Arev. restituit: *diuine* V. 621) *Supplicii scelerum peccans licet* VR: *Supplicia scelerum: merear licet* Arev. edidit. 622) *Munera percipiam* R: *munera percipiam* V: *Munere* Arev. edidit. 623) *dies tem-*

*pus quodcumque derisit* V: *dies quocumque tempus derisit* R. Quae in uerborum contextum recepi, Arev. coniecit, ipse ita edidit: *dies, et tempora dura tulerunt*. Neque tamen hoc, neque illud a Dracontio scriptum esse facile concesserit, qui ad seqq. quae ualde turbata sunt, respexerit. Post hunc enim uersum ordo uersuum in VR. hic est: 623. 645—651. 624—644. 652 sqq. Arev. in collocandis iis secutus sum. 624) *Lucito redde precor q. t. subtrahis iob* R: *Lucito redde procul q. t. subtra hio* ad marg. *precor* pro *procul* V: restituit Arev. 628) *iubent reptante cruore* VR: *iubes reptare, cruoris Humor ut* Arev. edidit: idem coniecit *iuuant, reptante cruore* nel *iubes replere cruorem*. — *intrauerat* R, *intrauerit* Arev. ex V (?) 631) *multas d. p. artes* VR: restituit Arev. 632) *ceruis* al. m. correctum *ceruix* R, *ceruis* V: correxit Arev. 634) *geminato* V: *geminato* al. m. corr. *geminato* R, quod Arev. recepit: cf. u. 638. — 635) *lucis mandantque* VR: *lucis, mundantque* Arev. edidit. 636) *Scena c. fundae a* R: *Scena c. funde a* V: restituit Arev. 639) *obductis* VR: *abductis* Arev. edidit: fortasse *adductis*.

- 640 Et geminae rubuere genae, lanugine malae  
 (625) Crispantur reurentis adhuc post ossa senectae  
 Mortua temporibus multis olimque sepulta.  
 Ordine muratum dentes cinxere palatum,  
 Vt bene uerba sonent ipsis modulatis ore;  
 645 Obsessatque domans dentata repagula lingua,  
 (630) Et pontem factura iacet sermonibus oris,  
 Interpretis mentis, secreti pectoris index,  
 Atque uoluntatis tacitae uel cordis imago:  
 Verbere distinctas spargit per murmura uoces,  
 650 Omne nefas atque omne bonum dictura loquendo.  
 (635) Dentibus adduntur rubicundo labra flabello.  
 Accedunt humeris remorum more lacerti.  
 Brachia iunguntur, uola nascitur, et manus omnis.  
 Unguibus armantur digiti sub dispare forma.  
 655 Curuis spina latus complectitur aspera costis.  
 (640) Pectora circumstant crates, iugulique ligantur.  
 Cetera membrorum currit propago per artus,  
 Vsibus officiisque aptantur cuncta ministra:  
 Aedificant hominem longae fragmenta ruinae.  
 660 Ante tamen, quam membra forent compago ligata,  
 (645) iam prior auris erat, quae audiuit uerba Tonantis.  
 Persarum rector timuit post regna bubulcum,  
 Inter prata pecus: sed post regnauit in arce.  
 Me, rogo, iam repara sub libertate solutum  
 665 (649) Clade, catenarum ferrato pondere pressum.  
 (655) Nosco, quid iratus uel quid mitissimus ipse  
 Des, pater: aduerto: non est formido salutis,  
 Sed ueniam sperare licet. Res ipsa probauit,  
 Quod uiuus sum, mortis inops: pietate reseruor,  
 670 Non ira, nam si Domini grauis ira fuisset,  
 (660) Non me differres, subita sed morte necares,  
 Ne peterem ueniam, quam nunquam, sancte, negasti,  
 Aut ut non essem prorsus, qui poscere possem:  
 Seruatum reparare iube pietate sueta,  
 675 Vt merear cantare tuas per carmina laudes.  
 (665) Quamuis nemo tua praeconia congrua dixit.

640) *rubuere* R, uti Arev. restituit: *rubere* V. 641) *Crispantur uentis adhuc* VR: restituit Arev.  
 643) *moratum* VR: restituit Arev. 644) *Et bene* VR: correxit Arev. *ipsis modulatis ore* R, Arev.  
 645) *Obsessatque domans densata r. lingua* R: eadem in V. scripta uidentur, Arev. enim ex eo affert uoc.  
*lingua*, pro quo ipse edidit *linguam*. 646) *Et pontem f. iacet s. o.* VR: *Et sontem f. latet* Arev. edidit:  
 idem coniecit *latet recessibus oris*. 648) *Ecliuolum tantis tacitae* R: *E..... tantis tacitae* V: re-  
 stituit Arev. 651) *Adduntur* R, uti Arev. restituit: *aduritur* V. 656) *iugulisque* Arev. coniecit. 658) *of-*  
*ficiis* VR: *que a me additum. ministrant* Arev. coniecit. 660) *compago* VR: *compage* Arev. edidit.  
 662) *rector* R, pro quo Arev. suppleuit *dominus*: in V. enim hic u. ita exstat: *Persarum timuit post regna*  
*bubuleus*: hoc ultimum uoc. ita etiam in R: *bubulcum* Arev. restituit. 663) *sed* R: *si* V: *qui* Arev. edidit.  
 665) Post hunc u. sequuntur in VR. quinque uersus, quos ex Arev. recepit. 668) *sperare* R, *speraret* V.  
 670) *Non iram* VR: correxit Arev. 673) *prorsus qui parcere possiem* R: pro cui uidetur *qui* in V: *cui*  
*parcere posset* Arev. edidit, qui etiam ita coniecit, uti ego edidi.

- Aut unquam dicturus erit, nam formula laudis  
 Temporibus tribus ire solet: tu temporis expers  
 Numquid habes, Deus, ante tuum, uel post cadit in te?
- 680 Si laudator abest, narrator plenus adesset:  
 (670) Sed quis opus narrare tuum sermone ualebit?  
 Suspexisse Deum satis est de corde trementer,  
 Et lacrimis precibusque piis ueneranter adire.
- (650) Sit uitae requies, animae sint otia fessae,  
 685 Sit secunda quies, sit nox cum munere noctis,  
 Sit fortuna redux, sit uirtus usque senectam,  
 Sit uenerandus honos, et quidquid uita precatur
- (654) Aut amissa dolet: totum pietate reforma.  
 (673) Sint reduces uires, mens sana in corpore sano,  
 690 Sit mihi longa dies felici tramite uitae,  
 (675) Sit domus haec felix, felix numerosa propago,  
 Sit sine tormentis post corpus uita futura,  
 Noxia mens non sit, non sit rea, non sit iniqua,  
 Sit requies animae, qua mox purgata quiescat.
- 695 Iudicio, Deus alme, tuo detur inde triumphus  
 Inter odoratos flores et amoena uireta:
- (680) Ad nemus aeternum ueniam sedesque beatas  
 Et grates exceptus agam ex fasce malorum,  
 699 (682) Additus insonti populo sub sorte piorum.

680) *plenus at esset* Arev. edidit: *adesset* VR: fortasse *adessem*. 682) *trementi* Arev. coniecit. 684) *eff. ea, quae ad n. 665. dicta sunt. sint R, uti Arev. correxit: sunt V.* 688) *dolent* VR: Arev. qui *dolet* correxit, praeterea coniecit: *et quidquid uota precantur Aut quae (quo non opus est) amissa dolent uel uita precatur Amissumue dolet.* Fortasse scribendum est *totam* intellig. *uitam.* 689) *Sint reduces tenuis mens* VR: *uires* Arev. edidit: idem coniecit *Sint reditus tenuis* uel *Sit uictus tenuis.* 691) *Sit homo uel perplex felix* V: *Sit homo uel perplex felix* R: *Sit secunda domus, felix* Arev. edidit: idem coniecit *Sit domus atque uxor felix, numerosa* uel *Sit sine labe domus, felix* uel *Adsit laeta domus, felix* uel *Sim genitor semper, felix.* 693) *Hunc uersum ex R. adieci: inique R.* 694) *Et requies* R, Arev. qua nox VR: restituit Arev. 696) *adoratos supra odoratos* V. 697) *Quamuis (Quannuis R) ad aeternum uenit sedesque* VR: *Ad nemus aethereum ueniam* Arev. edidit. 698) *Et gratias exceptus agam ex fasce* VR: quod fortasse ferri debet, cf. u. 6. *Et grates exc. agam de fasce* Arev. edidit. 699) In R. haec ad calcem: *Finis A. Augustini: qua de re eff. quae in Praefatione dicta sunt.*